

TRAGOPOGON CARICIFOLIUM Boiss. loc. cit. Febr. 1845.

Tr. radice perenni vel bienni multicipiti, foliis indumento araneoso secedenti obsitis a basi dilatata anguste linearibus erectis longissimis vix undulatis, caulibus monocephalis foliis brevioribus fructiferis sub capitulo incrassatis fistulosis, *involucro octophyllo corollis roseis exteriores breviori*, achenis marginalibus a basi muricatis acute angulatis in rostrum laeve eis brevius attenuatis, pappo rufescenti achenio paulo longiori.

Hab. in rupestribus et arenosis apricis *Persiae australis* ad *Persepolim*, *Schiraz*, *Ispahan*, Aucher No. 4892. Kotschy No. 276, 972, 973.

Planta semipedalis, folia numerosa 6-9 pollices longa medium versus lineam aut paulo amplius lata. Habitus *Tr. porrifoli* var. *Cupani*, quod differt involucro flores superanti, achenii tantum tuberculati vix angulati rostro longiori angustiorique, *Tr. colorati* quod praeter papulum violaceum habet flores involucro multo breviores, et *Tr. rubri* Gmel. quod distinguitur foliis abbreviatis lanceolatis, caulibus basi ramosis, acheniorum rostro brevi crasso etc. *Tr. collinum* DC. denique involucro corollas aequanti, foliis undulatis etc. differt.

TRAGOPOGON PERSICUM Boiss. loc. cit. Febr. 1845.

Tr. glabrum, radice, caulibus pumilis ramosis foliosis, *foliis rigidiusculis lato-linearibus abbreviatis acutis* longitudinaliter multi-nerviis, nervo medio albo latiori, caulinis abbreviatis, pedunculis tota longitudine foliosis fructiferis incrassatis, involucro glabro octophyllo foliolis latis acutis, flores marginales luteos aequantibus, achenis marginalibus acute angulatis ad angulos tuberculatis rostro eis breviori terminatis, pappo rufescenti achenium aequanti.

Hab. in agris montanis *Persiae australis* ad radices alpis *Kuh-Daëna* Kotschy No. 566.

Planta inter flavifloras foliis abbreviatis 4-5 pollices longis tres lineas latis rigidiusculis nec apice longe attenuatis, pedunculis usque ad apicem folioso-squamatis distincta, his characteribus et rostri brevitate ad *Tr. brevirostre* accedens quod differt caule elato ramosissimo, involucri phyllis attenuato-subulatis et achenio vix angulato valde muri-cato cum rostro 6-7 lineas nec ut in *Tr. Persico* pollicem longo, caules in meis speciminibus 5-8 pollicares.